



# Disputatio juridica sexta de secundis nuptiis

<https://hdl.handle.net/1874/340888>

14.  
DISPUTATIO IVRIDICA  
S E X T A,  
D E  
SECUNDIS NVPTIIS  
Q V A M  
D. O. M. I.

P R A E S I D E

V I R O C L A R I S S I M O,  
D. ANTONIO MATTHÆO, Ju-  
ris Antecessore Primario, in illustri Academia  
Ultrajectina,

*Publicè defendet,*

MARCVS vande VOORDE Mediob.-Zelandus.  
*Ad diem 6 Mart. horâ locoque solitis.*



U L T R A J E C T I,  
Apud JOANNEM à WAESBERGE,  
ANNO dñi 1744.

*Virtutis & natalium splendore Illuſtri viro*  
DD. SIMONI DOVSÆ, Peditum cohortis Du-  
ctori, cognato ſingulari mihi amore proſequendo.

*Clariffimo atque graviffimo viro,*  
D. ANTONIO ÆMILIO, in hoc celeberrimo  
Trajectenſi Lycœo Hiftoriarum & Politices Profeſſori or-  
dinario.

NEC NON

*Spectatiſſimis viris,*

D. PETRO MELKENBEQVIO, }  
D. IOHANNI LODOVICO, } Sororiis.  
apud Medioburgenſes Occidentalis Indiæ }  
Directori,

*Ampliſſimis ut & prudentiſ.*

D. BALTHASARI vande VOORDE, I. V. D.  
in Occidentali India Conſiliario atque inibi filci Advo-  
cato.

D. PETRO vande VOORDE, Rei monetariæ in  
Comitatu Zelandiæ Præfecto.

*Reverendo,*

D. MATTHÆO vande VOORDE, in Walla-  
chria divini verbi Miniſtro.

NEC NON

*Morum vitaque integritate conſpicuo juveni,*

D. CORNELIO vande VOORDE, Fratribus di-  
lectiſſimis.

*Hoc legale Exercitium, ſtudioſorum*  
*primitias*

L. M. Q.

Inſcribo

MARCUS vande VOORDE

Reſp.

## DISPUTATIO IVRIDICA

## S E X T A,

D E

## SECUNDIS NUPTIIS.

## T H E S I S I.

**N**ON solum primæ, sed & secundæ, tertiæque nuptiæ licitæ sunt; tamen si corona pudicitie non honorantur apud veteres, multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitime cujusdam intemperantiæ signum esse credentes. *c. aperiant & c. seqq. 31. qu. 1. Beʒ. tract. de polyg. pag. 30. & seqq. Mauser. ad pr. Inst. de nupt. pag. 329. Diff. Tertul. lib. de monog.*

## II.

Verum ut maximè licitæ sint, jure tamen civili pœnis quibusdam obnoxia sunt, quæ enumerantur *l. 1. l. 2. 3. l. hac edictali & c. C. de sec. nupt. nov. 22. cap. 22. 23. 32. nov. 2. cap. 1. & 4.* De his pœnis ante omnia quæritur, an sublata sint jure Pontificio? *c. pen. & ult. de sec. nupt.* Verius est, eas solas sublatas, quæ odio contrahentis sancitæ sunt; non illas, quibus liberis prioris matrimonii consulitur. *Covar. part. 2. de matr. cap. 3. §. 9. n. 7. Peregr. 3. de jur. fisc. 15. n. 3. Molin. ad cons. Paris. tit. 1. §. 43. gl. 1. n. 143. Gail. 2. obs. 98. n. 8. Peck. 1. de testam. conj. 47. n. 3. Corren. cons. 111. Tuld. tit. C. de sec. nupt. n. 7. Fab. Cod. Sab. ad h. tit. def. 1.*

## III.

Si maritus decedens uxori potestatem novarum nuptiarum fecerit, non effugiet, propterea pœnas secundarum nuptiarum, siue intra annum luctus, siue post contrahantur: nemo enim testamento legibus derogare potest. *l. nemo. 55. D. de leg. 1. l. jus publicum 38. D. de pact. Coras. 3. miscel. 1. n. 12. Gi-phan. in l. hac edictali C. h. tit. pag. 385. Tuld. h. tit. n. 8. Forster. 7. de succes. ab int. cap. 13. Hodier. ad d. l. hac edictali quest. 21. n. 37. Nec*

F

adver-

adversatur nov. 22. cap. 2. pr. & c. 46. Diff. Bald. in l. 1. C. de sec.  
nupt. Boer. decis. 113. n. 6. Myns. 5. obs. 24. Gomes. l. Taur. 14. n. 6.  
Vigel. in meth. jur. contr. 3. cap. 8. reg. 64. Gail. 2. obs. 98. Menoch.  
cons. 470. n. 19. Alb. Gentil. 6. de nupt. 23.

IV.

Quid si liberi quoque prioris matrimonii consentiant in  
secundas matris nuptias? Sunt qui id sufficere putant ad ef-  
fugiendum secundarum nuptiarum pœnas: Alii requirunt, ut  
liberi expressim renuntient beneficiis constitutionum. Nos  
contra utrosque existimamus, neque consensum, neque ex-  
pressam renuntiationem ad plenam nubentis securitatem suf-  
ficere, arg. d. l. 38. de pact. l. 3. D. Qui testam. fac. poss. l. tam is 25.  
D. de mort. caus. donat. l. Paulus 47. S. patroni D. de bon. libert. l. quod  
bonis 15. S. 1. D. ad leg. Falcid. Giphon. d. loc. Diff. Coras. d. loc.  
Sarm. 1. sel. interpr. 4. Peck. 2. de testam. conj. 18. n. 12. Forster. d. cap.  
13. n. 1. & 2. Fach. 3. contr. 65. Alb. Gentil. Myns. Gail. dd. loc. Graf.  
in sent. §. succes. ab. int. quæst. 25. n. 9.

V.

Quid si ex rescripto principis mulier transferit ad secundas  
nuptias? Infamiam quidem vitabit, non tamen alias pœnas,  
nisi dimidiam bonorum suorum partem liberis prioris ma-  
trimonii statim donet l. 4. C. ad SC. Tertyl. l. 4. C. Si contr. jus vel  
util. publ. l. solent 10. D. de his qui not. infam. l. decreto 15. C. eod. Cn-  
jac. in d. nov. 22. Fachin. d. cap. 65. in fin. Gomes. d. n. 6. in fin.]

VI.

Pœnæ, quas jure canonico non esse sublatas diximus, duæ  
sunt: Altera, ut transvolans ad secundas nuptias, susceptis  
ex priore matrimonio liberis, omnia quæ ex liberalitate prio-  
ris conjugis, vel ex successione legitima unius ex liberis prio-  
ris matrimonii habet, æqualiter liberis ejusdem matrimonii  
relinquere teneatur, & eorum usumfructum tantum habeat,  
non proprietatem l. 3. cum. ll. & auth. seq. C. h. tit. nov. 22. cap.  
23. & 46. Altera, ut ex suis bonis non possit conjugi ullo  
titulo plus relinquere, quam uni ex liberis prioris matrimo-  
nii l. hac. edictali C. eod.

Quan-

## VII.

Quantum ad priorem attinet, non est dubitandum eam utriusque conjugii communem esse: adeoque malè nonnulli docuerunt, partem posteriorem *d.l. 3.* ad solas mulieres non viros pertinere. Facit *l. generaliter §. C. h. tit. nov. 2. cap. 2. §. 1.* & *nov. 22. cap. 23. 27. l. ult. pr. & §. 1. C. ad SC. Tertyl. Cujac. in d. nov. 22. Scip. Gentil. de sec. nupt. cap. 13. Forst. d. lib. 7. cap. 11. Gomef. ad leg. Taur. 14. n. 4. Vasq. de succes. progres. lib. 2. §. 17. n. 28. Peck. d. cap. 18. n. 16. Gail. d. obs. 98. Sand. decis. Fris. 2. tit. 3. def. 2. Diss. Giph. in *d.l. hac edict. pag. 382. Fach. 3. contr. 64.**

## VIII.

Nec dubitandum, cessare hanc pœnam, si liberi prioris thori moriantur. Itaq; si postremus liberorum extraneum heredem instituerit, in bonis à priore conjugio ad superstitem profectis, nihil ille juris habiturus est: revertitur quippe proprietas morte liberorum ad superstitem *d.l. 3. & l. hac edictali §. his illud C. h. tit. Sand. d. tit. 3. def. 1. Giph. in d. l. hac edictali. Fab. Cod. Sab. tit. de sec. nupt. def. 15. Diss. Gabr. 3. com. concl. tit. de sec. nupt. concl. 1. n. 23. & concl. 3. n. 29.*

## IX.

Est etiam extra controversiam, quod de legitima successione unius ex liberis prioris matrimonii diximus, id restringendum ad ea bona, quæ à parente ante defuncto ad filium prioris matrimonii profecta erant. Cæterùm si aliunde advenerint, pleno jure deferuntur parenti superstiti, ut maxime transvolet ad secundas nuptias. *auth. ex testamento C. de sec. nupt. d. nov. 22. cap. 46. Boer. decis. 192. Trentacinq. 3. var. resol. tit. de matr. res. §. n. 29. Sand. d. tit. 3. def. 3. Forster. d. lib. 7. cap. 12. n. 1. Gomef. d. l. 14. Taur. n. 2.*

## X.

Nec difficile est statuere de legitima parentum, an ea transeuntibus ad nova vota debeatur? Cum enim nulla reperitur constitutio, quæ secundùm nubentem privet legitimam, consequens est, & legitimam, & si minus legitima relictum sit, augmentum eidem deberi *d.l. scæmina §. 1. vers. id quod per*

*eandem Fach. 3. contr. 63. Diff. Bald. in auth. ex testamento C. h. tit. Menoch. conf. 237. lib. 3.*

XI.

Illud difficilius est, si statutum ad successionem liberorum simpliciter vocet parentes, nulla facta monogamorum & polygamorum distinctione, an eo ipso videatur antiquasse *d. l. femina*? Hæc quæstio voluntatis est: refert enim quid senserint statuentes. Si id non appareat, ad jus commune recurrendum dixeris. Vide *Zobel. part. 2. differ. jur. civ. & Sax. diff. 47. n. 6. & seqq. Coler. decis. 40. Boer. decis. 113. n. 3. & 5. & decis. 185. n. 6. 7. 9. Gail. d. obs. 98. n. 7.*

XII.

Si filia accepta dote bonis paternis renuntiaverit, dubitatur an ea renuntiatio extendenda ad eas res, quarum proprietatem pater per secundas nuptias amittit? Et magis est, ut non extendatur: neque enim renuntiatio porrigi potest ad ea, de quibus non est cogitatum. Facit *l. generaliter §. fin. & auth. heres C. h. tit. Sich. in d. l. femina n. 8. Guid. Pap. decis. 228. & ib. Ranch. in not. Gail. d. obs. 98. n. 9. Fach. 3. contr. 68.*

XIII.

Quantum ad posteriorem pœnam attinet, cum ea *ex d. l. hac edictali* locum habeat, non solum filiis prioris matrimonii, sed & nepotibus extantibus, quæritur quemadmodum nepotes considerentur; utrum capita spectemus, an stirpem? Verius est, stirpem spectandam: ita, ut si plures nepotes ex eodem filio sint superstites, vitrico eorum vel novercæ plus relinqui possit quam singulis, non plus quam universis. *Dd. in d. l. hac edictali Myns. 5. obs. 24. n. 4. Sand. d. tit. 3. des. 5.*

XIV.

Si liberi prioris matrimonii moriantur patre vel matre superstite, & vitrico vel novercæ relicta sit filialis portio, non levis est quæstio, quæ tum futura sit ejus portionis quantitas? Verius est, dimidiam fore, *arg. l. qui concubinam. 29. §. 1. D. de leg. 2. l. 3. D. Si pars hered. pet. l. filio 7. D. Ut leg. serv. caus.*

*caus. cav. §. ult. Inst. Quib. ex caus. man. non lic. Fab. Cod. Sab. ad h. tit. des. 11.*

XV.

Si maritus & uxor testamento, vel instrumentis dotalibus usumfructum omnium bonorum invicem sibi constituerint, quæstionis est, an in hoc usufructu sit locus *d. l. hac edictali*? Quid ni? Est enim in bonis: & per Falcidiam minuitur, & excedere filialem portionem potest, æstimatione facta juxta *l. computationi 68. D. ad leg. Falcid. Peck. d. cap. 18. n. 4. Sand. d. tit. 3. des. 4. Hodier. ad d. l. hac edictali quæst. 31.*

XVI.

Eadem est ratio donationum reciprocarum, quæ & ipse subjacent *d. l. hac edictali*, nec minus lucrativam causam continent atque simplices, ut rectè docuit *Ger. Maynard. 3. decis. Tholos. 28. Argent. ad consuet. Britan. art. 221. glos. 3. n. 3. Sand. d. des. 4. in fin. Gomes. d. l. Taur. 14. n. 2. Scip. Gentil. de don. int. vir. & ux. lib. 2. cap. 28. Diss. com. Dd. quos sequitur Hodier. quæst. 36.*

XVII.

Communioni omnium bonorum, quæ jure municipali inter conjuges contrahitur, itemque communioni lueri & damni non derogat *d. l. hac edictali*, nec obest quo minus posterior conjux vi communionis auferat semissem bonorum. Quod si pactis dotalibus communioni renunciatum sit, haut dubiè *d. l. hac edictali* erit locus. *Hodier. ad d. l. hac edictali quæst. 6. n. 3. & 4. Zobel. d. diff. 47. n. 6. & seqq. Coler. decis. 40. Grot. 2. manud. 12. Neostad. de pact. antenupt. obs. 4. in not. Coren decis. 30. n. 29. Diss. Bartol. in d. l. hac edict. n. 2. Bald. n. 7. Sich. n. 8. & seqq. Boer. d. decis. 185. n. 6. & seqq.*

XVIII.

Qui transvolat ad secundas nuptias tametsi posteriori conjugi non possit plus relinquere, quam uni ex liberis prioris



prioris matrimonii, non tamen liberis ex posteriore matrimo-  
 nio susceptis plus relinquere prohibetur. Quid ergò si testa-  
 tor dixerit: *Vxori semissem bonorum lego: quantoque minus per l.*  
*hac edictali capere ei licet, liberis ex eadem susceptis lego?* Non  
 dubitamus in fraudem *d.l. hac edictali* testatorem facere volu-  
 isse. *d. l. hac edict.* §. *quam observationem l. Sulpitius 49. D. de do-*  
*nat. int. vir. & ux. Rittershus. part. 4. Novel. cap. 5. n. 10. Sand.*  
*d. tit. 3. defm. 6. Adde Fach. 3. cont. 66. Scip. Gentil. d. cap.*  
*28. Hodier. ad d. l. hac edictali quest. 1. 2. & 28.*

### XIX.

Fingamus plus legatum esse, quam per *leg. hac edictali* li-  
 cet; quantum detrahemus? Ex, gr. Vxor quindecim millia  
 denariorum habens, legat filio prioris matrimonii V, marito  
 secundo X. Vtrum tota quinque, an bis mille & quingentos  
 detrahemus marito? Bis mille & quingentos duntaxat marito  
 decidi putant, *Glos. in d. l. hac edictali verb. dividi. Cyn. ibid. n. 9.*  
*Bald. n. 34. Sich. n. 12. Bachov. in not. ad ar. Papon. lib. 15. tit.*  
*1. arr. 9.* Sed verius est, tota quinque decidi, filioque prio-  
 ris matrimonii deferri, dividitur enim quod ultra modum re-  
 lictum est æqualiter inter liberos prioris matrimonii, non in-  
 ter vitricum & privignos. *d. l. hac edictali §. sin verò plus: Fach.*  
*3. contr. 69. Giph. in d. l. hac edict. pag. 38. Hodier. quest. 18.*

### XX.

Fingamus IV. filio prioris matrimonii legata, ~~x~~ secundo  
 marito. Hoc casu non sex sed quinque marito decidemus.  
 Malè enim Salicetus docuit *in d. l. hac edictali quest. 7. & Ruin.*  
*consil. 58. lib. 5.* si minus legitima filio relictum sit, etiam si  
 supplementum petere possit, non tamen idcirco legatum vi-  
 trico relictum usque ad quantitatem legitimæ valere. *Sich. in*  
*in d. l. hac edict. n. 14. & seqq. Fab. Cod. Sabaud. h. tit. def. 3.*  
*Fontanel. de pact. antenupt. claus. 5. glos. 8 part. 4. n. 18. & seqq.*  
*Fach. 3. contr. 67. Hodier. quest. 8. n. 16. & seqq.*

### XXI.

Quid si vitricus ex asse institutus sit, cum nihil esset ipsi fi-  
 lio

lio prioris matrimonii relictum? Non jam locus erit *d. l. hac edictali*, sed vindicabit præteritus hereditatem à vitrico per querelam inofficiosi; *ex nov. 115. cap. 3. d. l. hac edictali vers. ita tamen ut quarta.*

#### XXII.

Ex his apparet, falsum esse quod communis schola docuit, si nihil filio relictum sit, aut minus legitima, aut plus legitima sed minus quam vitrico, filium legitimam ante detrahere; tum in reliquæ hereditatis partem admitti pro virili. Quod commentum non absimile est illi, de duarum quarum detractione, recteque confutatum ab *Ant. Fabro 14. conject. 17. Rittershus. part. 4. novel. cap. 5. n. 9. Molin. ad conf. Alex. 158. vol. 5. Diff. Trentac. 3. tit. de jur. dot. resol. 3. in fin. Cancr. 3. var. resol. 2. n. 183. & alii quos sequitur Hodier. quest. 7. n. 14.*

#### XXIII.

Apparet etiam malè Dd. scripsisse, id quod filii prioris matrimonii consequuntur ex *d. l. hac edictali*, non imputari eisdem in legitimam portionem. *Alc. in l. in quartam circa fin. D. ad leg. Falcid. Diff. Bald. in d. l. hac edictali n. 20. Peck. d. cap. 18. n. 3. Tuld. ad h. tit. n. 2. Fach. 3. contr. 70.*

#### XXIV.

Easdem pœnas quas patiuntur ad secundas nuptias transcunt, patiuntur etiam viduæ intra annum luctus stupro pollutæ, *nov. 39. cap. 2. §. ult. l. his solis 7. C. de revoc. donat.* Sed cum pœnæ transeuntium ad secundas nuptias ante expletum luctum sublata sint jure Pontificio, quæritur, an jure Pontificio etiam viduæ se tueri possint? Verius est non posse, quoniam Pontifices iis solis subvenire voluerunt, quæ in domino nubunt. *d. c. pen. & ult. de sec. nupt. Ioan. de Garron. in l. 1. C. de sec. nupt. n. 72. 73. Clar. 5. sent. §. stuprum n. 6. Surd. de alim. tit. 7. quest. 24. n. 4. Menoch. cas. 288. n. 26. Molin. ad conf. Paris. tit. de scud. §. 43. n. 143.*

Quæsi-

Quæsitum etiam, an vidua intra annum luctus stupro se  
 polluens admittat dotem & donationem propter nuptias?  
 Haut dubiè amittit donationem propter nuptias, dotem ne-  
 quaquam: nam nec quæ intra annum luctus nupsit, dotem  
 amittit, sed ea quæ ex liberalitate mariti habet *l. i. & ansb.*  
*eisdem. panis C. de sec. nupt. nov. 22. cap. 22. Diss. Dd. duo &*  
*triginta, quos enumerat & refellit Menoch. d. cas. 288. n.*  
*28. Gomez. ad l. Taur. 80. n. 70.*

DISPV-

A D  
ORNATISSIMVM IUVENEM,  
Themidi bonisq; artibus Consecrancum  
MARCVM vande VOORDE.  
*Cum de*  
SECUNDIS NUPTIIS,  
*Ventilandas Theses inserret Academico Astræa Sacratio.*

**S**ollers arbitra temporis vetustas,  
Morum regula rite temperata,  
*Primo conjugio* dedit Coronam;  
Quâ succensa libidinis modestæ  
Fax justos habeat decora cinctus.  
Lex austerior imminet *Secundo*  
Iuris vindice duriore stricti  
Migrantes variè premens amores.  
Seu pœnas tulit insolente flabrô  
Instigata Venus, notâ impudici  
Pruritus maculans thorum jugalem.  
Seu curam sobolis piam capessit,  
Et natis vigil æquitas laborat.  
Hæc tu dum genio vigens & annis  
Astræa cupido probas theatro  
Oppugnantibus expedita nodis;  
Doctorum meritis favor sequatur  
Condit meta suos ubi triumphos.  
Ut quæ sedula *Nuptiis secundis*  
Fido militat artis apparatu  
Felix ambitio tui laboris  
Papho sentiat auspicante *primas*,  
Complexu lepidæ beata nymphæ;  
Cujus Virginitas pudica *primi*  
Iactet *Conjugii* sacram coronam,  
Et fausto Iove delibuta, dotis  
Sensus tinniat aureos benigne.

ISAAC. GRUTERUS.

Ε Π Ι Γ Ρ Α Μ Μ Α,

εις τὸν αὐτόν.

**Ε**ἴπ' ἄρα, ΜΑΡΚΕ, τῆν θαλαρδὸν κατὰ θυμὸν ἄλεξας  
Πρῶτον ἀπειρήσῃ, δεύτερον λέκλει, γάμῳ;  
Ἀμφιθαλῆ κῆρσ'· μελέτα παλιβλασον ἔρωτα,  
Ὅπποτε κενιδίην υἱλέες ἡμῶν ἔλη.  
Ἀλλὰ διαρκέοντα γάμον τοι δοῖεν ἀμείνους  
Μοῖραι, ἐν εἰς αἶδ' ὅσῳ φέροι ὡςτε δύο.

*Idem Latine.*

**Q**uid te sollicitant thalami, dic, MARCE, fecundi,  
Dum tibi nulla prius sœmina juncta fuit?  
Virgineum juvenis; viduum mediteris amorem,  
Conjuge si primâ non licet usque frui,  
Sed meliora tibi tædas dent fata perennes,  
Et simul ad manes lux ferat una duos.

*Amicus amico,*

I. TERCMANNUS.